



# The Holy See

---

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

***MIAOENSIS\****

IN INDIA NOVA CONDITUR DIOECESIS MIAOENSIS APPELLANDA.

Pastorale munus, quod Nobis divinitus est concreditum, postulat ut illis circumscriptionibus ecclesiasticis prospiciamus ubi catholica religio in dies haud parva suscepit incrementa. In praesens visum est Nobis supplices preces excipere quae ad hanc Apostolicam Sedem pervenerunt, quibus petitum est ut dioecesis Dibrugarhensis in India divideretur novaque exinde dioecesis conderetur. Favente igitur eidem rei Venerabili Fratre Petro López Quintana, Archiepiscopo titulo Acropolitano atque in India Apostolico Nuntio, concedimus ut tale inceptum ad rem perducatur. Quapropter, sententiam excipientes Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Nostra de Apostolica potestate, haec decernimus quae sequuntur. A dioecesi Dibrugarhensi distrahimus territorium districtuum civilium vulgo Tirap, Changlang, Lohit, Anjaw, Lower Dibang Valley et Upper Dibang Valley, ex quibus novam dioecesim Miaoensem nuncupandam erigimus ac constituimus. Episcopalem novae dioecesis sedem in urbe vulgo Miao statuimus, templumque ibi extans, Deo in honorem Christi Luminis Gentium dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus, eique insignia, privilegia et honores tribuimus, quibus ceterae in orbe catholico Cathedrales Ecclesiae fruuntur. Novam erectam dioecesim Miaoensem suffraganeam facimus Metropolitanae Ecclesiae Guvahatinae atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam declaramus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Petrum López Quintana, quem supra memoravimus, delegamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi.

Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem quam diximus diligenter mittantur, contrariis rebus quibuslibet minime

obsistentibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Decembris, anno Domini bis millesimo quinto, Pontificatus Nostri primo.*

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Decembris, anno Domini bis millesimo quinto, Pontificatus Nostri primo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

CRESCENTIUS card. SEPE  
*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCVIII (2006), n. 4, pp. 304-305

© Copyright 2005 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana